



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

14 Vtrum in rebus incorporeis dari possit causa materialis substantialis, & quomodo quantitas ad hanc materialem causam comparetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

Hoc ergo supposito, ad difficultatem propositam dicendum est, actionem illam integram & indiuisibilem absolute & simpliciter non pendere à materia in genere cause materialis, quia illi actioni ut sic nullum subiectum supponitur, nihilominus tamen faciendum est illam actionem, quantum ad eam partem, quæ est compositiua formæ, pendere à materia à subiecto, & causa materiali: hoc enim recte probat discursus supra factus. Nec vero inde fit, illam actionem quoad aliquam partem esse generationem aut propriam educationem formæ de potentia subiecti, nam hæc ratio solum conuenit illi actioni quæ se se ac separatim, & per modum totalis actionis fieri potest: illa autem partialis actio concreatio dicenda est, quia natura sua est pars vnius totalis actionis quæ est vera creatio. Nec repugnat concreationi ut sic, pendere à subiecto & materiali causa, quantum ad eam rationem seu partem, secundum quam dicitur concreatio; sicut etiam, quatenus est partialis concreatio materiæ, pendet, suo modo à forma & vniione eius. Quod nihil aliud est dicere, quam dari quandam creationem totalem, quæ constat ex partibus materiali & formali proportionatis partibus, quibus constat terminus eius, quod verissimum est. Atque ita satisfactum est omnibus rationibus dubitandi, intelligiturque melius hæc omnia dicendis infra de creatione, & de educatione formæ substantialis, ubi plura de hac difficultate dicam.

SECTIO XIV.

Virum in rebus incorporeis dari possit causa materialis substantialis, & quomodo, quantum ad hanc materiam causam componatur.

I. Vponit hæc questio, esse inter substantias creatas quasdam incorporeas, id est, carentes hac quantitate molis, quam habent corpora: quod infra nobis probandum est, tractando de substantiis separatis. Hoc ergo supposito, ad explicandam in vniuersum causalitatem materiam circa substantiam, vel assignandos ei terminos quibus clauditur, vel designandam certam proprietatem qua dignosci possit, necessaria visa est hæc questio.

Varia sententia.

II. In qua nonnulli errarunt, dicentes causalitatem materiam non limitari ad res corporeas, sed in incorporeis etiam reperiri. Quæ sententia duobus modis intelligi potest. Prior est, ut intelligatur de materia eiusdem rationis cum materia rerum corruptibilium. Quo sensu tenuit eam opinionem Auicembron. in lib. Fontis vitæ, ut refert & declarat Diuus Thomas 1. part. quæst. 50. art. 2. Sed hic sensus facile reicitur ex dictis præter aliqua quæ mox subiciemus. Quia ostendimus, corpora celestia propter suam incorruptibilitatem non posse constare hæc materia; sed substantiæ incorporeæ sunt incorruptibiles, magisque abstractæ ab huiusmodi peregrinis alterationibus, quam celestia corpora: ergo.

III. Alio ergo sensu potest illa sententia intelligi de materia alterius rationis specificæ ab hac nostra materia, eiusdem tamen rationis generice cum materia rerum corporalium: ita ut de se illa materia, quæ de facto esse dicitur in rebus incorporeis, capax sit corporeæ molis, & quantitatis, si forma illam admittat. Et hoc sensu dicitur illa materia esse eiusdem rationis communis cum materia rerum corporearum, quamuis in statu differat, & actu careat mole corporea ratione formæ. Quod etiam asseruit Auicembron citato loco. Est autem etiam hic sensus improbabili-

lis, quia materiæ corporali connaturale est esse sub quantitate, & sub illa, vel per illam diuidi in partes: ergo impossibile est ut aliqua substantia natura sua constet huiusmodi materia carente mole corporea. Patet consequentia, tum quia non potest talis materia esse sine quantitate, saltem connaturali modo: non potest autem aliqua substantia naturaliter constare ex materia, & non habere illam in statu connaturali, sed prodigioso, & miraculoso: tum etiam, quia talis substantia incorporea constaret ex portione seu parte materiæ distincta, vel à tota materia substantiarum corporalium, ut argumentatur Diuus Thomas loco citato: vel etiam à materiis aliarum substantiarum incorporearum, ut ibidem Caietanus addit. Repugnat autem huic materiæ secundum communem rationem suam diuidi in partes, nisi media quantitate.

Sed dicere potest aliquis, non esse de ratione huius materiæ in communi sumptæ habere quantitatem, neque positivè (ut ita dicam) postulare illam ut proprietatem sibi necessariam, sed solum indifferenter se habere ut illam habeat, vel non habeat iuxta exigentiam formæ. Sed hoc in primis est alienum ab omni ratione Philosophica, quia nos nunquam expecti sumus huiusmodi materiam, nisi sub quantitate: ergo non solum hæc materia est capax quantitatis natura sua, vel potest admittere illam, si forma non repugnet, sed etiam natura sua postulat esse sub quantitate, imo vix potest intelligi sine illa. Et confirmatur hoc, nam si in materia est capacitas ad quantitatem, non potest naturaliter illa carere propter formam: nam maxime id accideret, quando forma esset spiritualis: ut videmus in homine formam esse spirituale, & non propterea privari materiam suam quantitate. Sed præterea argumentor à priori in hunc modum, nam vel illa materia substantiarum incorporearum esset in sua entitate indiuisibilis, & carens partibus entitativis integrantibus ipsam: vel haberet partes entitativas sese tamè penetrantes propter carentiam quantitatis. Si primum dicatur, plane sequitur talem materiam non solum non habere actu quantitatem, sed etiam esse omnino incapacem illi, quia rei indiuisibili repugnat per quantitatem extendi, ut per se notum est ex ipsis terminis: talis ergo materia non conueniet cum materia substantiarum corporalium, etiam in hoc communi genere materiæ corporeæ, seu capax quantitatis. Si vero dicatur secundum, repugnat (saltem naturaliter) illam materiam esse à quantitate separatam; tum quia materia corporalium non alia ratione postulat quantitatem, nisi quia diuisibilis est in partes: tum etiam quia neque est in natura indicium aliquod, aut vestigium talis materiæ, neque facile, ut dicebam, concipi potest illo modo existens, præsertim natura sua.

Possit ergo aliter excogitari (& sit tertius dicendi modus) in re incorporea compositio ex materia prorsus spirituali & indiuisibili, ita ut, sicut datur substantia composita ex materia & forma corporeis & substantia composita ex materia corporea & forma incorporea, ita etiam dari possit substantia composita ex materia & forma incorporeis. Quid enim repugnat, quin detur huiusmodi compositio in substantia spirituali? Atque hanc sententiam probabilem reputat Alexander Alenf. 2. part. quæstion. 20. memb. 2. in fine, & quæst. 44. memb. 2. ubi distinguit triplicem materiam, scilicet elementarem, celestem & spiritalem, & Bonavent. in 2. distinct. 3. art. 1. quæst. 1. & sequent. & re vera loquitur de propria materia, ut est essentialis pars distincta realiter à forma: & idem tenet Richard. eadem distinct. art. 1. q. 2. & in eandem sententiam refertur Aureolus ibi: & idem docuit Plotin. lib. 4. Aeneadis 2. c. 5. ubi ait, profundum vniuersi rei esse materiam, etiam in mundo intelligibili. Idem tenuit Proclus in elementario proposit. 210. Citatur pro hac sententia ex Philosophis Aristoteles 2. Metaphys. text. 12. ubi ait omne quod mouetur, habere

IV.

V.

habere materiam. Et Comentator 12. Metaphys. tex. 20. dicens materiam esse causam potentia in rebus, in quibus est potentia, scilicet passiva, significans omnia que sunt aliquo modo in potentia, habere materiam; quod etiam habet 8. Physic. tex. 15. Idemque habet Avicenna. 2. Metaphys. c. 2. Vnde lib. 4. cap. 2. ait omne quod habet esse, post non esse, habere materiam. Ex Patribus vero Augustinus lib. 1. de Mirab. sacra Scriptura cap. 1. ait, Deum ex informi materia, quam prius ex nihilo condidit, cunctarum visibilium & invisibilium rerum, hoc est sensibilem, & insensibilem, intellectualem, & intellectu carentium, species multiformes diuissile: & 12. Confess. cap. 20. & 21. inter alias expositiones illorum verborum: *In principio creavit Deus celum, & terram*, hanc ponit, id est, fecit Deus informem materiam creature spiritualis & corporalis. Damascenus etiam lib. 2. de fide, cap. 3. ait, licet quadam creature respectu nostri, materia vacare dicantur, tamen quicquid est aliud a Deo, crassum esse, & materia constare. Et Boetius lib. de Unitate, & Vno, ait Angelum esse unum coniunctione materie & forme: & lib. 1. de Trinitate, 3. ait, formam que est sine materia, non posse esse subiectum accidentium.

VI.

Ex quibus omnibus colligitur hæc opinio non posse dari substantiam creatam, que sit pura forma subsistens, quia nulla est substantia creata, que licet actu sit ratione forme, non sit in potentia ut possit esse, & non esse, quod convenit illi ratione materie. Itaque, nulla est substantia creata, que non possit agere: & pati, aut moveri: sed primum convenit ratione forme, ergo secundum convenit ratione materie, quia non potest eadem potentia secundum eandem rationem simplicem esse activa, & passiva, quia non potest secundum idem esse in actu, & in potentia. Denique nulla substantia creata potest esse purus actus: ergo nec pura forma, ergo esse debet constans ex materia & forma. Nec vero repugnat hæc compositio rei spirituali, quia non repugnat intelligere entitatem substantialem indivisibilem, ac incorpoream, que in suo genere sit pura potentia, & pendeat ab aliquo actu substantiali informante. Nam sicut substantia spiritualis integra est, in potentia ad formas accidentales proportionatas ita dari potest substantia spiritualis partialis, que sit in potentia ad substantialem formam proportionatam. Denique sicut in formis sunt gradus, cur non etiam possunt esse in materiis usque ad gradum spiritualem?

VII.

Hæc sententia est sine dubio falsa: tamen duas habet partes. Una est, causalitatem materie esse necessariam in omni substantia creata, quantumvis incorporea. Alia est, hanc causalitatem saltem non repugnare illi. Quia ergo prior pars facilius impugnatur, quam posterior, de ipsa est sigillatim dicendum.

Questionis resolutio.

VIII.

Dico ergo primo: Non est de ratione substantia creatæ & completæ ut habeat causam materialem intrinsecam, ex qua componatur. Hanc conclusionem supponunt omnes authores qui docent dari factis substantias creatas non compositas ex materia, nimirum angelos. Ita sentiunt fere omnes Scholastici in 2. distinct. 3. & Divus Thomas 1. parte, quæst. 50. artic. 2. & 2. cont. Gent. capit. 50. & 51. & quæstion. de spiritualibus creatur. artic. 2. Marfil. in 2. quæst. 2. Henric. quodlib. 4. quæst. 16. Hervæus quodlib. 11. quæst. 3. & est expressa sententia Dionysij capit. 4. de celesti Hierarch. & de divinis nominibus, & sine dubio idem sentit Damascenus lib. 2. cap. 3. Aristoteles etiam 12. Metaphys. cap. 6. clare docet intelligentias esse abstractas a materia, quamvis in hoc excedere videatur, faciens illas puros actus; de qua re dicemus infra suo loco. Nunc probatur ratione assertio posita, quia neque ex ratione substantia creatæ ut sic,

neque ex proprietatibus, vel effectibus talis substantia potest colligi necessitas huius compositionis seu causalitatis materialis: ergo nulla est talis necessitas. Antecedens quoad priorem partem patet, quia de ratione substantia ut sic solum est, quod sit ens perfecte subsistens seu natura sua aptum ad subsistendum. Quod vero talis substantia creata sit, addit solum dependentiam ab alio: & consequenter, quod talis substantia sit finita, & non sit ex se ens necessarium, neque omnino simplex: sed tota hæc ratio substantia creatæ optime saluatur & intelligitur absque compositione ex materia & forma, seu ex actu & potentia substantialibus, ac realiter distinctis: ergo. Probatur assumptum, quia ut substantia non sit omnino simplex, sufficit compositio Metaphysica, vel ex natura & supposito, vel ex esse & essentia, de quibus infra dicemus: præter quas etiam est compositio ex genere & differentia, quæ sufficit etiam, ut talis substantia finita esse intelligatur: neque talis compositio indicat veram compositionem ex materia & forma, quia non oportet genus & differentiam sumi ex partibus substantia realiter distinctis, ut in superioribus dictum est. Denique, ut talis substantia pendeat, satis est quod ex se, & ex sua intrinseca essentia non sit ens actu, sed per efficientiam alterius: hoc autem convenire potest substantia hoc ipso quod aliquam compositionem habet ex esse & essentia, vel ex modo dependentia, & re quæ dependet: ergo ad rationem substantia creatæ non est necessaria propria compositio ex materia & forma.

Altera vero pars antecedentis probatur, quia non repugnat eandem rem esse in actu in genere substantia, & esse in potentia ad accidentia, ut sequenti disputatione latius dicturi sumus. Et patet breviter, quia respectu diversorum non repugnat actus & potentia. Immo hoc ipso, quod substantia creata non habet per seipsum omnem perfectionem, sequitur ut post perfectionem substantialem, sit perfectibilis per accidentia: & hoc esse in potentia ad illa. Deinde, si talis substantia sit vivens, & maxime intellectualis, per eandem realem facultatem habere potest vim agendi & recipiendi, ut per eandem voluntatem potest elicere & recipere actum volendi: & eodem modo potest se movere, non ratione materie sed ratione suæ propriæ substantia: ergo hæc non sunt sufficientia indicia compositionis propriæ ex materia & forma, quia non necessario illam requirunt; sed præter hæc nulla alia sunt indicia talis compositionis, quæ in omni substantia creata necessario inveniuntur: ergo nulla est necessitas attribuendi hanc compositionem omni substantia creatæ.

Et confirmatur, ac declaratur hic discursus ex anima rationali sepeata a materia: illa enim est substantia creata dependens, & non omnino simplex, & potens ad intelligendum, volendum, & se movendum: & horum omnium capax est sine compositione ex materia & forma. Vnde authores contrariæ sententiæ coacti hoc exemplo, indicant etiam in anima reperiri hanc compositionem: verumtamen id est valde alienum non solum a principiis naturalibus, sed etiam fidei. Nam vel intelligunt, animam etiam dum est in corpore, esse compositam ex materia & forma spiritualibus; at inde sequitur, animam non esse veram formam corporis; tum quia anima per se erit substantia completa & integra, utpote ex propria materia substantiali, & propria forma composita; tum etiam, quia non poterit informare corpus per suam materiam, quia materia non est actus actuans, sed primum subiectum forme: neque etiam per suam formam, quia non potest eadem forma simul informare duas materias, neque habere connaturalem & intrinsecam habitudinem transcendentem ad illas. Vel intelligunt, animam rationalem statim ac separatur a corpore, recipere aliquam spiritualem materiam cui unitur, & in qua con-

conferuetur: & hoc æque falsum est, & erroneum. Nam inde fit primo, animam rationalem vere non conferuari separatam. Secundo sequitur, necessariam esse creationem nouæ materiae, vt anima possit extra corpus manere, quia illa materia non poterat antea præesse, aliàs oportuisset vel esse sine forma, vel aliquid aliud corrumpi, vt anima rationalis extra corpus manere posset. Quæ omnia sunt absurda. Imo præterea sequitur, non oportere vt talis anima aliquando redeat ad corpus: nam si iam habet propriam & perfectiorem materiā quam informet, cur debet illa priuari, vt ad corpus redeat? Maxime, quia compositum illud ex tali materia & anima, natura sua incorruptibile esset. Igitur nullo modo dici potest rationalem animam consistere materia, & forma.

Sed dicit aliquis non esse eandem rationem de anima rationali, & de substantiis completis, de quibus nunc agimus: nam illa cum sit incompleta, & natura sua instituta ad informandam materiam, nõ est mirum, quod tota sit forma, & non consistat ex materia: secus vero esse potest in substantiis completis, quæ ita per se subsistunt, vt materiam informare non possint. Sed hæc differentia nil obstat, quin potius ex eo, quod anima rationalis, quamuis sit incompleta substantia, quia incorporea est, potest esse per se subsistens sine materia, & in se operari, ac se mouere: ex hoc (inquam) inferimus non repugnare, quod dentur completæ substantiæ incorporeæ, quæ materia non consent, & in se operari possint, ac se mouere. Et ratio huius consequentiæ est, quia sicut in anima eadem res potest esse principium efficiendi, & recipiendi motum & actum accidentalem, ita in illis substantiis completis. Et sicut anima separata non indiget materia ad suos actus & motus, ita nec substantia completa & incorporea indigebit illa. Et aliunde non est materia necessaria ad rationem substantiæ incompletæ vt sic, nam Deus est completa substantia sine materia: neq; ex eo præcise, quod substantia sit creata, postulat vt complementum eius sit ex compositione materiæ, vt demonstratum est: ergo.

Et hinc insurgunt duæ aliæ rationes egregie confirmantes conclusionem. Vna ratio est Diui Thomæ loco citato, quia non repugnat dari substantiam creatam completam, habentem operationem simplicem independentem à materia: ergo non repugnat dari substantiam habentem esse completum absq; materia. Consequentia probatur, quia esse est propter operari; vnde est proportionatu operationi, & operatio ipsi esse: si ergo substantia nullo modo indiget materia ad operationem, neq; ad suum esse completum illa indigebit: Eò vel maxime, quod talis materia nihil conferre posset ad esse, vel subsistere formæ: quia forma, vt supponitur, esset incorporea: ergo independens in esse à quolibet subiecto, & per se subsistens, sicut est nostra anima: igitur talis forma, neque quoad esse, neque quoad operari, indigebit materia: ergo nõ potest natura sua esse actus materiæ, sed actus per se subsistens, tanquam substantia completa. Antecedens vero probatur, quia non repugnat dari substantiam creatam pure intellectualem: operatio autem intellectualis per se & natura sua independens est ab omni materia, vt late probatur in 3. de Anima: & patet breuiter tum ex obiecto eius, nam sub se complectitur omne ens, quantumuis abstractum à materia; tum ex modo eius, quia ex se abstracta à tempore, & loco, & ab omni compositione: tum deniq; ex primaria substantia intellectuali, quæ est Deus, in quo nullum est genus materiæ, & ex infima, quæ est homo, vel anima rationalis. Nam licet hæc anima sit actus corporis, cuius ministerio vt aliquo modo potest ad suas mentis operationes, tamen per se ac formaliter, non indiget anima rationalis aliqua materia ad intellectuales operationes: vnde separata illas exerceat sine vlla materia: si

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

ergo non repugnat dari substantiam creatā totaliter intellectualem; non repugnat dari substantiam creatam carentem compositione ex materia.

Alterā ratio sumitur ex similitudine effectus ad causam, saltem secundum communem & analogam rationem: cum ergo Deus sit substantia completa simplex, non repugnat dari substantiam similem Deo in hac perfectione, saltem quantum ad carentiā compositionis ex partibus realiter distinctis: omnis enim similitudo ad Deum, quæ non pugnat cum ratione effectus æquiuoci, & dependentis, vel quæ aliunde non pugnat cum ratione entis vt sic, communicari potest à Deo alicui creaturæ: de quo discursu dicemus plura infra, tractādo de intelligentiis creatis.

Dico secundo: Omnino repugnat fieri incorpoream creaturam habentem verā materiā causa substantialem. Hanc conclusionem non inuenio ita expressam in authoribus: solum enim dicunt angelos carere omni materia: tamē quatenus hoc colligunt ex eo, quod incorporei sunt, plane supponunt repugnare substantiæ incorporeæ vt sic compositionem ex materia, qualiscunque illa esse fingatur. Potest autem probari assertio primo ab effectu, vel potius ex fine: quia compositio ex materia non potest conuenire alicui substantiæ nisi quatenus ei est connaturalis: natura autem non postulat compositionem ex materia, nisi ob aliquem vsum, vel finē consentaneum & composito, & formæ, nam materia est propter formam, sed materia incorporea nulli vsui esse potest formæ incorporeæ: ergo. Minor probata satis est in præcedente assertione, nam forma incorporea non indiget materia absolute vt sit, neque etiam vt operetur intellectualiter, vt ibi probatum est; neq; vt moueatur localiter, vt probat etiam exemplum nostræ animæ separatæ. Et ratio est, quia motus localis recipi potest in quacunque re subsistente, habente finitum & limitatum locum, siue illa res sit composita, siue simplex. Nec fingi potest aliud genus operationis, ad quam talis materia deserviat, quia in materia incorporea non possunt esse sensus, neq; aliquis modus cognitionis, qui per solam formam nõ melius exerceatur: neque etiam esse posset actus vitæ vegetatiuæ, cum substantia incorporea sit incorruptibilis, est ergo talis materiæ modus ineptissimus ad omnem vsum naturæ: ergo non potest esse connaturalis alicui substantiæ: ergo simpliciter impossibilis est: nam materia vel est pars naturæ, vel non est materia. Item, si possibilis est aliqua materia, possibilis etiam est forma, quæ sit naturalis actus eius: ergo composito ex vtrâq; connaturalis erit talis causa materialis, si ergo nulli formæ, vel composito esse potest conaturalis huiusmodi materia, neq; absolute esse potest. Ratio autem à priori sumenda videtur ex nobilitate gradus & ordinis substantiæ incorporeæ, nā ille ordo rerum est actualior, quam sit omnis substantia corporea & extēsa: & ideo repugnat dari in illo ordine entitatem substantialem per modum puræ potentiæ indigentis forma substantiæ, ac realiter distincta, vt esse possit.

Materia & quantitas mutuo se inferunt.

Ex his infero materiam & quantitatem se habere inseparabiliter ac reciproce, ita vt omne compositum ex materia, necessario sit quantum, & omne etiam corpus quantum necessario sit compositum ex materia: hæc enim posterior pars in superiori sectione probata est: prior vero ex proxime dictis constat. Vnde fit consequens, quantitatem comparari ad materiam vt proprietatem eius, nam cum inseparabiliter sese comitentur, necesse est vt inter se habeant aliquam naturalem connexionem, cum autem materia sit substantia, quantitas & accidens non possunt aliter connecti, nisi vt proprietates & essentia, radix, seu fundamentum. Imo, si de proprietate

XIII.

XIV.

Incorporea substantia repugnat materiali causa.

XV.

Bb

prietate

proprietate reali, & Physica loquamur, nullam aliam in materia inueniemus: nam si quid aliud assignari solet, vel non est proprietas, sed essentia: vt esse potentiam ad formam: vel non est proprietas positiua, sed quæ per negationem declarat eandem essentiam, vt esse ingenerabilem, & incorruptibilem, esse de se informem, & aliquo modo incognoscibilem, carere vi actiua, & similes. Vel denique solum per Metaphoram explicat eandem essentialem capacitatem materiæ, vt habere appetitum ad formam. At vero quantitas est vera & realis proprietas propriam habens entitatem (de qua infra suo loco dicemus) naturaliter ac necessario coniunctam cum entitate materiæ. Estque illi valde proportionata, nam est aptissima ad recipiendum, & patiendum, & ex se non est ordinata ad aliquid agendum. Statim vero se offerunt hoc loco quæstiones graues, scilicet an quantitas ita sit proprietas materiæ, vt sit illi coæua, & an ab illa dimanet, vel mediante forma: & an in illa immediate subiectetur, vel in toto composito; sed hæc quæstiones non sunt necessariæ ad præsentem disputationem, & in sequenti habebunt commodiorem locum.

XVI.
Dubium.

Responsio.

Solum potest in hac assertionem dubitari, si quantitas & materia sese consequuntur, quomodo, variata ratione materiæ, non variatur ratio quantitatis: diximus enim materiam incorruptibilem corporum esse distinctam à materia corruptibilem: nemo autem dicit, quantitates esse diuersarum rationum. Quod si dicatur, quantitatem consequi materiam vt sic secundum genericam rationem suam: restabit inquirendum, quæ proprietas consequatur hæc, quæ vero illam materiæ, quatenus talis est, vel quomodo ad rationem genericam materiæ sequatur specifica proprietas, & tamen ad specificas rationes materiæ nulla proprietas consequatur. Ad hoc vero dicendum est breuiter, nullum esse inconueniens, quod duæ naturæ seu materiæ specie distinctæ, quatenus inter se sunt aliquo modo similes, habeant proprietatem communem: id enim frequens est etiam in formis, & substantiis completis. Nam sicut duæ causæ specie distinctæ possunt habere effectum eiusdem rationis, quia possunt habere virtutem communem, vel formalem, vel eminentem: ita duæ materiæ possunt habere proprietatem communem propter conuenientiam in aliqua conditione naturæ, quamuis non conueniant simpliciter in tota essentia. Omnes enim materiæ habent integralium partium extensionem & compositionem, & in ea sunt omnino similes, & secundum eam rationem conueniunt illis proprietates: habent vero ulterius, quod sint potentiæ ad formam, & secundum hanc rationem differunt per diuersam habitudinem ad formam. Et secundum hanc specificam rationem, & distinctionem, verum est non habere vnā materiam aliquam peculiarem proprietatem accidentalem, distinctam à quantitate, vel à proprietatibus alterius materiæ. Neque hoc est inconueniens, quia materia, cum sit pura potentia, non indiget aliis proprietatibus vel facultatibus.

Argumentorum solutiones.

XVII.

Terza Aug.
exponitur.

Ad argumenta alterius sententiæ respondetur, Aristotelem, cum ait omnia quæ mouentur, habere materiam, loqui de motu physico in quo vna pars mobilis prius pertransit spacium, quam alia. Commentator autem & Auicenna procedunt in eo errore, quod intelligenti omnes sunt entia necessaria, & æterna. Ad Aug. In primis opus illud demirabile lib. sacre Scripturæ incerti est authoris, deinde D. Thom. q. vnica de spiritualib. creat. artic. 1. ad quartum, explicat Augustinum non loqui de materia proprie, vt est pars essentia, nec de informitate substantiali, sed de materia, vt dicit quæcumque substantiam, vel subiectum accidentale in informe. Vnde per materiam informem in intellectu naturali natura nihil aliud

intelligit, quam ipsam naturam intellectualem nondum illuminatam à verbo. Vel fortasse author illius libri existimauit Angelos esse corporeos. A que hoc modo respondet Capreolus in 2. d. 3. q. 1. ad alium locum Augustini ex libris confessionum, eam expositionem esse iuxta opinionem Platonis existimantis Angelos esse corporeos: præsertim quia Augustinus non approbat, sed refert tantum illam expositionem. Damascenus aut apertè sentit Angelos esse immateriales, quamuis cōparatione Dei eos appellet crassos ac materiales, non quia materia consistit, sed quia aliquo modo sunt compositi, & potentiales. Ita fere Diuus Thomas q. 50. artic. 2. ad primum. Boetius autem in priori loco, vel existimauit Angelos esse materiales, vel loquitur late de materia & forma, prout interdum dicuntur de quacunque potentia & actu, siue sint genus & differentia, siue essentia & esse. In posteriori autem loco vel loquitur de forma pura, quæ sit purus actus, vt exponit Capreolus, vel loquitur secundum præcisionem formalem, quod forma vt forma non recipit accidentia, sed quatenus aliquid participat de conditionibus materiæ, seu de potentialitate.

Et ex his vltimis verbis fere responsum est ad rationem illius sententiæ: negatur enim esse impossibilem substantiam creatam non compositam ex vera materia. Ad primam probationem respondetur, falsum esse omnem substantiam creatam posse non esse per intrinsecam potentiam passiuam, quæ conuenit rebus ratione materiæ, subiectæ priuationi: si verò sit sermo de potentia ad non esse per solam denominationem extrinsecam à causa efficiente, illa non requirit materiam. Ad aliam probationem respondetur, eandem rem viuentem posse se ipsam mouere accidentaliter, vel in actu reducere, quia ad hoc esse potest per suam substantiam in actu eminenti seu virtuali, & in potentia formali, vt supra, confirmando veritatem, declaratum est, & tractando de causa efficiente latius dicemus.

Ad vltimam probationem iam declaratum est, vnde repugnet dari substantiam incorpoream, & puram potentiam in genere substantiæ scilicet ex eminentia illius gradus, & ordinis: & ideo non est simile de potentia ad formas accidentales, quia substantia quæ sit simpliciter in actu, potest esse in potentia ad accidentia: quæ non est potentia ad esse simpliciter, sed secundum quid. Est denique diuersa ratio formæ & materiæ, nam forma, cum sit actus, merito reperiri potest in gradu incorporeo, itemque gradus corporeus potest participare actualitatem formæ substantialis, quia non est ille ordo adeo imperfectus, quin intra illum reperiat ens simpliciter in actu per formam constitutum: è contrario vero materia propter suam imperfectionem non potest eleuari ad gradum incorporeum.

DISPUTATIO XIV.

De causa materiali accidentium.



Explicata causalitate materiali in prima radice, & causa illius generis, facile est eam applicare ad omnia subiecta, quæ huiusmodi generis causalitatis exercent circa accidentia; nam circa substantiam sola materia prima veram ac propriam causalitatem materiale habet: quia licet partes integrantes vel dispositiones, soleant ad hoc genus causæ reuocari, id solum est per quandam reductionem, non per proprietatem. Igitur de materiali causa accidentium primum videbimus an sit, & qualis, & respectu quorum accidentium. Deinde, quibus rebus conueniat.

SE-